

# PRÆSTANTISSIMO

AC EMINENTISSIMO D. ANTONIO A PRA

to Cancellario Franciæ, Sacr. LL. Doctore, Equiti aurato, Ia

cobus Faber in CHRISTO IESU, qui uera omnia

um salus & uita est; S.



NON pauci Aulici, & iisdem per celebres, clarique & literati uiri ad me scripsere, tibi uero cum primis eminentissimo, acerrimo iudicio, & apud regiam maiestatem summæ autoritatis loco sortito: scripsere, inquam, tibi placuisse Cōmentarios nostros in Euangeliis: & non solum placuisse, sed & eorum tutelam, si qui minus candide nonnulla in ipsis contenta intelligere aut suggillare uellent, suscepisse. Quod pietatis tuæ officium, non tam mihi, & si mihi, quàm Christo & uerbo eius impendisse uideris. Quod ut intellexi, me tanto honoratum testimonio, tanta suffultum tutela, cogitavi, ne tantæ uiderer ingratus beneuolentiæ, si quo officio tandem possem (& si impenso beneficio longe esset impar) illi respondere. Sed quonam, nisi munusculo quopiam literario, quod solum apud me est, testarer animi mei gratitudinem? Et uoluntanti mihi animo, quodnam illud demum esset, uenit in mentem, quum probatos à te in Euangeliis Commentarios iam olim emissos, non possem: quippiam saltem proximum illis, me eminentiss. autoritati tuæ ex nomine dicaturum. Et quia rari admodum reperiuntur Commentarij in Epistolas, quas nostri Canonicas, Græci Catholicas dicunt, hi quidem quod uniuersaliter ad omnes fideles spectent, siquidem καθολικὸς, uniuersalis dicitur. Illi uero, Canonicas, quod recte uide di secundum spiritum & uerum Christianismum contineant canonem, id est regulam, & hæc adeo quippiam Euangelio proximum sunt, ut etiam Euangelij nomine contineantur. Nam Euangelium id totum est, quicquid nouo continetur testamento, quod cōplectitur quatuor peculiaris Matthei, Marci, Lucae, & Ioannis euangeliis, Acta apostolica Lucae euangelico scribæ attributa, Epistolas Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ, cum sacra Ioanni facta reuelatione, quæ Apocalypseos nomine græce magis, quàm latine nobis insinuatur. Quum igitur in has Epistolas Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ, rari admodum reperiantur Commentarij, & maxime qui antiquorum sint (neque enim memini me in eas quicquam ex antiquis legisse, nisi quasdam adumbrationes quæ Clemēti cuidam Alexandrino adscribi solent, & Collectanea Bedæ) ita studui, Christi adiutrice gratia, & utinam per totum directrice, in ipsas Commentarios concinnare, ut omnibus prodesse, & neminem (nisi quem pia Christi doctrina lædit) possint offendere. Sed quæ læserit unquam Christi pietas? Tuto igitur præcellentis autoritate prædito, & iudicandi prudentia perito, insigni nomini tuo, illos nuncupare ausus sum: non tam ut aulicis erga te optime affectis, & de te optime meritis in parte satisfaciam, & gratiæ erga me tuæ respondeam, etsi illis debitor sim, quæ ut Christo, Euangelioque eius inseruiam. Cui non aulici modo, sed & Rex, & tu ipse, & omnes regnicolæ, quid dico regnicolæ? imò omnes orbicolæ debitores sunt. Nonne spiritus in propheta ait: Laudet illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis? Et quis posset illi sufficenter seruire, quis eum sufficenter laudare: quum uirtutes quidem cælorum omnes sufficientia sint impares? dicente Paulo ipsum ad dexteram patris constitutum in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subie

Psal. 48.

Eph. 1.

- Phil. 2.* sta esse sub pedibus eius. Et alibi, Donatum illi esse nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū, & infero-  
*Act. 4.* rum. Et Petrus in Actis ait: Et non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. O uerba potentis-  
 sima ad saluandum: O digito dei mentibus saluandorū insculpenda: O ueritas ne-  
 minem unquam læsura, neminem deceptura: Hic est quem catholicæ epistolæ so-  
 lum autorē salutis annunciant, hic est quem nostri Commentarij prædicant: ut om-  
 nes ad quos peruenerint, participes sint tantæ salutis & gratiæ, quæ in ipso &  
 per ipsum Ihs qui hanc fidem habent & habituri sunt, reuelanda est, quæ omnem  
 excedit mortalium sensum & comprehensionem. Hanc Christianissimo Regi si-  
 dem, hanc salutem, hæc epistolæ, hanc hi Commentarij exoptant. Hanc tibi, hanc  
 proceribus & regnicolis omnibus, & ut magis Christiane loquar, omnibus ubi-  
 euncq; gentiū degentibus, maxime Christum & sanctum uerbum eius, quod est  
 Euangelium pacis & æternum, iam amore prosequentes. Neq; addubitent re-  
 ges, præsidēs, senatus, & potestates uerbū dei in suis regnis, dominijs, terris, iuris-  
 dictionibus sinere passim & libere inuulgari, quin id ipsum magis adiuuent, nam  
 tanto magis honore & debita reuerentiā per ipsum digni habebuntur. Quod iu-  
 bet Christus nunc per Euangelium, nunc per Paulū, nunc per Petrum, & per alios  
 afflatu spiritus sancti illustratos uiros. Nonne Euangelium dicit: Reddite quæ sunt  
*Matth. 22.* Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo: Et Paulus ad Romanos: Omnis anima pote-  
*Rom. 12.* statibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi à deo. Et subdit: Itaq;  
*1. Tim. 2.* qui resistit potestati: dei ordinationi resistit. Et ad Timotheum iubet pro ipsis sedu-  
 lo esse precandum, dicens: Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes,  
 orationes, postulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus  
 & omnibus qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam & tranquillā uitam aga-  
 mus in omni pietate & castitate. Et ad Titum: Admone (inquit) illos principibus  
 & potestatibus subditos esse, dicto obedire, & ad omne opus bonum paratos. Et  
*1. Pet. 2.* Petrus: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deum: siue regi tanquam  
 præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malorum, laudem ue-  
 ro bonorum. Sed quid de obedientia mulierum erga proprios uiros, liberorum er-  
 ga parentes, seruorum & famulorū erga dominos opus est plura dicere: quum hæc  
 epistolæ huiusmodi sancta institutione sint refertæ: Hæc uerbum dei quod est effi-  
 cax, & penetrabilius omni gladio ancipiti cōtinent: his sacræ literæ sanctis uitæ æ-  
 ternæ documentis atq; instructionibus sunt plenæ. Quid igitur omnes sublimatū  
 status non ubiq; illas animo se promouerent? Et certe silentio non est prætereun-  
 dum, Christianissimum regem Franciscum hoc auspicato nomine primum, cui,  
 & regno eius benedicat Christus, hoc ipso laudem & gloriā apud posteros pro-  
 meriturum, quod uoluerit uerbū dei in suo amplo regno & libere haberi, & Euan-  
 gelium Christi sincere pureq; ubiq; annunciari, uolens & multo magis æterno re-  
 gi Christo parere & uerbo eius, quàm ipse uel à suis subditis, & sibi & uerbo suo  
 audiri. O quantum laudis promerebitur apud deum & homines, si iuxta Pauli do-  
 ctinam ad Titum, exactam nauet operam in singulis quibusq; amplissimis regni-  
 sui diocesis, fides esse uerbi dei ministros, qui pure & sincere annuncient san-  
 ctum dei Euangelium, quod est in salutem omni credenti, qui idem prædicent uer-  
*Rom. 1.* bum, qui insent opportune, importune, qui arguant, obsecrent, increpēt in omni  
*2. Tim. 4.* patientia & doctrina. Et si qui aliter docent, & non acquiescunt sanis sermonibus  
*1. Tim. 6.* domini nostri IESU CHRISTI, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ:  
 eiusmodi regia repellat autoritas, extrudat, exterminet. Ergo macie uirtute, qui  
 Regis es Mercurius, caduceator, & interpres, ad hoc ipsum, regium pectus im-  
 pelle,

AD LECTOREM EPISTOLA.

pelle, optime nato adijce calcar, iam iam ad brauium currere parato. Et ut paucis omnia complectar, uerbum dei est omnis status reipublicæ stabilitas, soliditas, & confirmatio. Quapropter opto nō solum è tuis manibus uir splendidissime sacros libros nunquam excidere, sed ne è manibus quidem generosæ admodū indolis liberorum tuorū Antonij & Gulielmi paternam probitatem & literaturam probè imitantū. Quos catholicis epistolis cum nouis Cōmentarijs, bene aspirante Christo, protinus donabo: si publica luce tuæ autoritati digni uidebuntur. Ad quos ceterius euoluendos ne te argumenta remorentur: nunc illa supprimam, quum etiam in promptu sint ea quæ à beato Hieronymo sunt adiecta, finem epistolæ hinc faciens, IESVM CHRISTVM prius precatus, qui est omne bonū, cum quo & (at testante Paulo) à cœlesti patre donata sunt nobis omnia; ut te in arduis & maximi ponderis regni negocijs diu conseruet, & in omnibus dirigat, & Regis nostri clementiam, & omnes status publicos, omniaq; regnum ipsum concernentia, prospera, læta, faustaq; semper efficiat. Meldis, tanquam pro encanijs circa anni uirginis partus initia, M. D. XXV.

Rom. 8.

AD LECTOREM.

**A** Dieci, candide lector, annotationes ex Græco, in fronte marginis cuiusq; capituli additionis latinæ, quàm potui proxime locis quibus respondent: ut nota translationis à græca litera, quæ nunc habetur, dignoscatur diuersitas, & etiam ut aliquot in locis planior reddatur intelligentia. In quo id diligenter animaduertas uelim, si quid in epistolarū litera fuerit notandū; id duobus angulis oppositis claudetur, hoc pacto [ ] & notabitur in margine. Et si quid indicabitur nō haberi in exemplari græco impresso: signabitur in litera obelo, id est ueru in principio, & angulo in fine, hoc modo ► & nihil in margine. Si uero aliquid adijciendū ex græco, locus ubi adijciendum erit, indicabitur in litera linea ex utraq; parte in summitate angulum habente, hoc pacto T & adijciendum, ponetur in margine, præcedente asterisco, id est stellula tali \* Et id insuper notatu non uideatur indignum, in euangelijs & epistolis Pauli additionem Græcā, nostra translatione fideliorē atq; integriorem. In his autem catholicis epistolis, nostram translationem illa quibusdā in locis nunc habet (ut nonnulli putant) integriorem, & eo ordine quo sacer Hieronymus indicauit, ac partim restituit, ipso dicente in prologo super has, ad uirginem Eustochium. Ita has proprio ordini (deo iuuante) reddidimus. Est enim prima earum: una Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, & una Iudæ. Quæ si sicut ab eis digestæ sunt, ita quoq; ab interpretibus fideliter in latinum uerterentur eloquium: nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum uarietas sese impugneret, illo præcipue loco ubi de unitate trinitatis in prima Ioannis epistola positum legitimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à ueritate comperimus: trium tantummodo uocabula, hoc est aquæ, sanguinis, & spiritus, in ipsa sua additione ponentibus, & patris, uerbicq; ac spiritus testimoniū omittentibus: in quo maxime & fides catholica roboratur, & patris, & filij, & spiritus sancti una diuinitatis substantia comprobatur. Hæc sacer Hieronymus. Vnde fit, ut tempore Hieronymi codices Græci hanc particulā in epistola Ioannis haberent: Tres sunt qui testimoniū dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unū sunt, qua nunc carent nostra exemplaria Græca. Sed tu lector optime, omnium καὶ ἀλλοῦ κρητὶς ἔσω, omnibus bene utere, ac omnia boni consule. Et quod nostrum erga fideles uotū est: tu pariter bene, perpetuoq; in CHRISTO IESU omnium salute, Vale.